



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

3. Vtrùm teneantur cum periculo vitæ peste infectos baptizare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

mentorū effectum & abundantiorē fructum non parum conducunt. Et hoc dictum sit quantum ad cæmonias quæ ad Sacramentorum substantiam quàm proximè accedunt, & quæ in nullo casu solent ab Ecclesia omitti. Vix enim hoc fieri posset sine magnâ sacrorum mysteriorum irreverentiâ, & pusillorum scandalo; Per cæmonias enim illas actiones sacræ à prophanis quodammodo dignoscuntur, quibus omissis, v.g. si Sacramenta conferrentur sine signo Crucis, nullo exteriori cultu, habitu prophano, & paucis verbis, facilè adducerentur in contemptum seu vilipendium: dummodo tempus ita permittat. Ita Chapeaville in tract. de ministrandis Sacramentis tempore pestis c. 1. q. 43. & 44. & 47.

ARTICULUS III.

*Vtrum teneantur cum periculo vitæ
peste infectos baptizare?*

Quantum ad pueros certissimum est quod obligantur, cum enim illi sine Sacramento Baptismi salvari non possint, sunt in extrema necessitate, in qua, uti supra diximus tract. 1. art. 10. omnes debent proximo succurrere, etiam cum periculo vitæ corporalis, si proximus sit in extremo periculo vitæ spiri-
tualis.

tualis. Et tunc omnes obligantur, Pastores quidem & Missionarii ex Officio & Justitia; alij autem omnes, etiam seculares, in ipsorum defectu, ex charitate. Citantur quidem Cajet. 3. p. q. 68. ad art. 1. & Gerson. tom. 3. serm. de Nativ. Mariæ confid. 3. Quod pueri in necessitate solâ fide parentum aliquo signo exteriori expressa, sine Sacramento Baptismi salvari possint, sed hoc omninò ab Ecclesia reprobatur, ideo etiam jussu Pij V. illud ex commentariis Cajetani expunctum fuit.

Et quoad adultos, verum quidem est, quod salvari possint solo actu contritionis seu Baptismo flaminis, non tamen per hoc excusabuntur Missionarii, si metu contrahendæ contagionis, ipsos baptizare resugiant; sicut enim adulti petere tenentur Baptismum aquæ quando habere possunt, alioquin ipsis Baptismus flaminis nullatenus prodesset, ita Pastores tenentur ipsos baptizare, dum possunt, sub peccato mortali, alioquin enim omitterent officium ad quod tenentur: Et ideo maximè, quia merito dubitari potest, imo timeri de Baptismo flaminis in illa perturbatione infirmitatis, cum ille requirat perfectam contritionem quæ non ita facilè tunc haberi potest.